

ANN. XIX<sup>19</sup> - FASC. I


MENSE JANUARIO MCMXXXII

# ALMA ROMA

R. C. P. Reg  
V 352



QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

*Nuperrime prodiit*

JOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

*Editio altera locupletior.*

Venit libell. italic. 8; quibus addendae erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea facile agendis:

**Fridianus - Francisculi prandium.**

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque, recens forte reperta, nonnulla exemplaria operis, cui titulus:

## PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXI, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellorum 425 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 850, pro exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (*vulgo chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XIX

Romae, Mense Ianuario MCMXXXII

Fasc. I

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis an. MCMXXXII est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicis lib. 30 exaequāns; *ante solvendum rectoque tramite* mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96*.

## “ALMA ROMA” IN ANNUM MCMXXXII

Diaria recens passim retulere Varsaviae Polonorum societatem esse constitutam, quae satageret ut latina lingua in civilibus negotiis inque studiis doctrinae atque optimarum artium tamquam communis redeat. Optime quidem: toto animo ad rem accedimus et libentissime plaudimus! Quum vero audimus hinc distinctionem institui inter « latinum classicum » iam mortuum, et « latinum perenne » quasi quid ex sese stans et mutabile; inde necessitatem affirmari nova omnino excudendi vocabula quae hodiernis cogitandi modis hodiernisque ingenii inventis subveniant, et alia huius generis, facere omnino non possumus quin aliquid obiciamus. Duae enim aut plures latinae linguae inter se distinctae nunquam fuere; ut apud omnes linguas, in excellentiae scalis scriptores suum quisque locum obtinuerent: exstiterunt quidem qui fastigia sunt assequuti, ac fuere pariter eorumque pars magna, — qui iuxta varios scalarum gradus constitere: omnes vero linguam unam loquuti sunt, quae ex una in alteram generationem manavit, non quae quisque sibi fudit; eaque a Cicerone ad Ecclesiae documenta usque ad hodiernos dies, sive a Patribus sive a Pontificibus prolata; a studiosis illis, qui sibi ab humanitate cognomen meruere, ad viros omni disciplina excultos late deinceps: hi omnes, per viam unam, maiore minorive virtute omnia dicere valuerunt et ab omnibus intelligi, ita sane, ut si Cicero optimique Romanorum scriptores non modo, sed civis Romanus quivis, si in vitam remeasset, eos intellexisset. Itaque, ni fallimur, renovandi latinae linguae usus sic quaestio ponenda est: qui

perspicuus magis et elegans esse voluerit, exemplar perspicuorum sibi proponat; nemini vero licet a latinae linguae formis et syntaxi per saecula positis et in scholis indesinenter traditis aberrare. Igitur quae latinorum fuere vocabula adhibeantur; neve ea ad singularum nationum formam cum latina desinentia, ad varias earumdem linguarum structuram et exprimendi modos, vel denique ad unius aut alterius placita accommodentur. Meminerimus dictum illud, « optimum linguae studium vocularii lecturam esse »: ratio haec et latinae linguae applicetur; qui fecerit, percipiet longe multa esse, quae nostris etiam rebus et moribus adhuc respondant; de ceteris, magna recentissimarum vocum pars ubique a Graecis hodierni mutuati sunt, quae, iuxta Horatianum praeceptum, in Latium inducere aequo animo possumus. Hisce tantum positis principiis, inquisimus, non illitteratorum hominum communis latinus sermo cum honore revertetur; secus, non latinam, sed aliam fictam linguam, seu potius confusam congeriem, perperam efficiemus.

\* \*

Patet cuique quare haec scripsimus; nempe ut rationes nostras quae fuerint in redigendo hoc commentario, capta occasione, revocaremus. Hinc enim per nos factum est, ut, stylorum varietate largissime ad opportunitatem usurpata, per annos duodeviginta argumenta omnis generis per tractaverimus, a litteris ad historias, a civilibus ad oeconomicas et sociales quaestiones, queaque ad artem diversasque disciplinas pertinenter, usque ad iocosa, ludicra et communia illa nostrae vitae, quae a paterno vitali fonte haurire contendimus.

Sic nostro hoc exemplo, quod, ut ita dicamus, sub tactum cadit, novae Polonicae societati occurrimus, sic et per ineuntem hunc novum annum in incoepio persistemus. Faveant socii illi, qui nos per longum iter fideliter comitati sunt; novique illis accedant, nostrumque augeant agmen; neque una tantum subnotatione, sed, non minus, opera, ita ut scriptorum numerus simul amplificetur, qui munere officioque suo in rem instant.

\* \*

Premium annuae consociationis, ut in superiore numero nunciavimus, immutatum anno MCMXXXII manebit; scilicet pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Americae septentrionalis doll. 3; pro ceteris universi orbis nationibus summa, quae Italicas libell. 30 exaequet.

Communi huic subnotationi altera iam aliquot annis addita est, quam adiutricem appellavimus, duplicato cuiusque subnotationis pretio. In Patronorum autem Commentarii nostri numerum adscribentur qui summam libellas 100 exaequantem miserint, vel socios quinque novos adportaverint.

Praeterea qui integrum ALMAE ROMAE collectionem, ab anno scilicet MCMXIV ad annum MCMXXXI inclusive, sibi cupiant — supersunt enim exemplaria nonnulla — mittant Italicas lib. 425 si in Italia; pretium duplcatum, nempe lib. 850, si apud exteris gentes.


Supersunt pariter — recens forte reperta — pauca exemplaria operis, cui titulus: *Parvum antibarbarum*: huius pretium est libell. 8; quod si volumen per cursum publicum mittendum sit, addi debent lib. 0,60 pro singulis exemplaribus.

In mentem quoque revocamus vulgatam iam esse editionem alteram, eamque locupletiorem, operis, in quo sub nomine *Communia vitae plurimae* colliguntur phrases et formulae ad latina colloquia instituenda, pretio libell. pariter 8; quibus vero addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteris nationes, pro transmissionis expensis.

Denique has de subnotatione leges in mente quisque habeat:

1) *Consociatio sub anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

2) *Qui ALMAE ROMAE specimina habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit* — (quod nullo impendio facere poterat; quae enim a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea mittenti restituuntur) — *tamquam socius valide reputabitur, ideoque ad solvendum annuae consociationis pretium tenebitur.*



## DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>

### De pronominibus eleganter usurpandis.

§ I. — *De personalibus, de possessivis,  
de reflexivis et de reciprocis.*

I. — *Quum multitudo seu numerus dividitur, utuntur Latini genitivis « nostrū », « vestrū »;*<sup>2</sup> *quum de partibus hominis*

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> a) *Cum reflexivis dicendum « ex se », « ex suis »  
vel « suorum ».*

b) *« Vestrū » admonendorum causa = numerus pluralis et sensus personalis. « Vestrī » admonendi causa = numerus singularis et sensus collectivus.*

agitur, genitivis « mei, tui, sui, nostri, vestri »; v. g.:

Magna pars nostrū.

Uterque nostrū.

Quis vestrū?

Nostrī melior pars animus est (Sen.).

II. — *Latini eleganter usurpant reflexivum « suis », quum idem valet quod « non alienus » (vernacula lingua: « proprius »); i. e.:*

1º *quum pronomi « quisque » anteponitur; v. g.:*

*Discedentibus mandat ut suam quisque eorum civitatem adeat (Caes.).*

Tenenda sunt sua cuique (Cic.).

*Sua quemque fraus et suis terror vexat (Cic.).*

<sup>2º</sup> quum comitatur  
a) nominativum et ad alium casum  
reflectitur; v. g.:

*Hunc suis cives e civitate eiecerunt* (Cic.).

*Phoebo sua semper apud me munera sunt* (Virg., *Eglog.*, 3).

*Fortunam cuique configunt mores suis* (P. S.).

*Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?* (Prop.).

b) regimen unum et ad alterum regimen reflectitur; v. g.:

*Suas res eis restituuit* (Tit. Liv.).

*Sopitos vigiles in cubilibus suis obruntant* (Tit. Liv.).

*Extingui homini suo tempore optabile est* (Cic.).

*Eos suaे ipsorum fiduciae permittunt* (Quint.).

*Suo sibi hanc gladio iugulo* (Ter.).

*Hasdrubali et sua et aliorum spe omnia celeriora atque expeditiora fuere* (Tit. Liv.).

III. — Interdum possessiva genuinum possessionis sensum amittunt, ut alterum sensum derivatum adipiscantur.<sup>2</sup> Sic:

1º) *Meus* potest significare personam caram; v. g.:

*Nero meus* (= carus) (Cic.). — *O mea* (= cara) (O.).

2º) *Tuus, suus, noster, praesertim suus*, aliquando indicant, non quidem possessionem, bene vero aliquam convenientiam seu circumstantiam faventem, propitiari et opportunam; v. g.:

*Haec hora est tua* (Mart.).

*Tempore tuo pugnasti* (Tit. Liv.).

*Vota suos habuere deos* (Ov.).

*Utebatur populo sane suo* (Cic.).

<sup>1</sup> Qua de causa usurpant *suum*, quando nomen possidentis cum nomine rei possessae ope praepositionis *cum* coniungitur; v. g.: *Dicaearchum vero cum Aristoxene aequali et condiscipulo suo omittamus* (Cic.). — *Quadriremem cum remigibus suis* ceperunt (Caes., *De Bel. gal.*, II, 24, 3).

<sup>2</sup> Cfr. *Alma Roma*, anni 1931, fasc. 6, p. 97, V, 1º.

*Cretam ventis iturus non suis* (Hor.).  
*Haud numine nostro* (Verg.).

IV. — Possessivum « *sui* », substantivum, designat milites, discipulos, propinquos, cives, servos, etc., si de imperatore aut magistro aut propinquu aut cive aut domino, etc., sermo est;<sup>1</sup> v. g.:

*Deseritur a suis Varus* (Caes., *De bello civ.*, I, 12).

*Homo toties moritur, quoties amittit suos* (P. S.).

Fuit hoc luctuosum *suis*, acerbum patriae, grave bonis omnibus (Cic., *De Oratore*, III, 2, 8).

V. — Ad actionem reciprocam exprimendam,

1º) aut utuntur « *inter nos, inter vos, inter se, inter ipsos* »;<sup>2</sup> v. g.:

Illud non dubito quin res publica nos *inter nos* conciliatura coniuncturaque sit (Cic., *Ep.*, V, 7, 2).

Sed quid hoc loco vos *inter vos*, Catule? (Cic., *De or.*, II, 73, 295).

Cicerones pueri amant *inter se* (Cic., *Ad Attic.*, VI, 1, 12).

Partirentur *inter se*, qui Capitolium, qui rostra, qui urbis portas occuparent (Cic., *Phil.*, XIV, 6, 15).

Quum plurimorum bona publicata *inter se* divisissent (Corn. Nep., *Thras.*, 1, 5).

<sup>1</sup> Praeterea substantivum ponit possessiva « *mei, tui, nostri* », etc.; v. g.: Sollicitius et intentius *tui* me quam *mei* etiam excipiunt (Pr.). — Germani retineri non poterant quin in *nostros* tela coniicerent (Caes.).

<sup>2</sup> a) Cfr. *Alma Roma*. De pronomibus eleganter omittendis, IV.

b) Quum praepositioni « *inter* » praeponitur nominativus vel accusativus, semper usurpant « *inter se* », nunquam « *inter ipsos* ». — Quum autem aliis casus praeponitur, usurpant tum « *inter se* » tum « *inter ipsos* »; v. g.: Fratres gemini, *inter se* moribus similes (Cic.). — Feras *inter se* natura ipsa conciliat (Cic.). — Multa sunt civibus *inter se* communia (Cic.). — Latissime patens hominibus *inter ipsos* societas haec est (Cic.).

Sancta sit societas civium *inter ipsos* (Cic., *De Leg.*, II, 7, 16).

2º) aut geminant « *alter* » quum de duobus agitur, « *alius* », « *uterque* », « *neuter* »,<sup>1</sup> etc.; v. g.:

*Semper alter ab altero adiutus* (Cic., *Brut.*, I, 3).

*Alteri alteros attriverant* (Sall., *De bel. Ing.*, 79, 4).

Quum *alius alii* subsidium ferrent, audacius resistere coeperunt (Caes.).

*Alii alios intueri* (Tit. Liv.).

*Alii alios diligite.*

Cum *uterque utrique* esset exercitus

in conspectu (Caes., *De bel. gal.*, VII, 35, 1).

VI. — Particula « *met* » adnectitur pronominibus « *ego, tu, ipse, ille* » et similibus;<sup>2</sup> particula « *te* » apponitur vocibus « *tu* » et « *te* »;<sup>3</sup> particula « *pte* » adiungitur ablativis pronominum « *meus, tuus, suus, noster, vester* »,<sup>4</sup> (cfr. Forcellini); v. g.:

*Statui egomet mihi tum modum orationi meae* (Cic., *De Suppl.*, 63, 163).

Non de *memet* ipso, sed de oratore dico (Cic., *Orator.*, 3, 20).

Quae cogitatione *nobis met* ipsis fingere possumus (Cic., *De Nat. deor.*, 3, 18).

<sup>1</sup> a) Non raro usurpant « *uterque alterum* »; v. g.: *Uterque suo studio delectatus contempsit alterum* (Cic., *De Off.*, I, 1, 4).

b) Saepe repetunt idem substantivum casibus diversis; v. g.: Non dubium est quin *homines* plurimum *hominibus* prosint (Cic.). *Fluctus fluctum pellit.*

c) Praeterea superaddunt quandoque « *inter se* »; v. g.: Placet Stoicis homines hominum causâ esse generatos, ut ipsi *inter se alii alii* prodesse possent (Cic., *De Off.*, I, 7, 22). — *Inter se ducem in ducem* rabie hostili vertit (Tit. Liv., XXIX, 8, 11).

<sup>2</sup> a) Particula « *met* » significat discretionem; v. g.: *Ipsemet* i. e. per se, et non per alios.

b) In pronomine « *tu* » nominativo singulari addi non solet, nisi si dictio syllabica « *te* » interponatur; v. g.: *Tutemet* in culpa cum sis (Lucr., 4, 918).

<sup>3</sup> Vim addit particula « *te* »; v. g.: *Tute fecisti*; i. e. tu ipse per te, et non alius.

<sup>4</sup> a) Particula « *pte* » vim addit voce cui apponitur.

b) *Meopte* et *tuopte* potius sunt formae archaicae Plauti pro *meo ipso et tuo ipso*.

Incurret etiam in *illummet* memorabile annum suum (Cic., *Leg.*, I, 3).

Ut *tute* mihi praecepsisti (Cic., *Ad Fam.*, I, 8).

Nisi quid *tibi in tete auxilii* est, absensus es (Pl., *Epid.*, I, 1, 76).

*Suapte* natura facere aliquid (Cic., *Or.*, 2, 23).

## § 2. — De demonstrativis, de relativis et de interrogativis.

### I. — Pronomen

1º) « *is* » simpliciter rem demonstrat, nulla habita ratione personarum; v. g.:

Maneat nostros ea cura nepotes (Virg.).

*Is* ad eum istam rem defert (Cic., *Verr.*, VI, 1, 25, 64).

2º) « *hic* » ad primam personam referunt et ea designat, quae ad eam pertinent et saltem ei proxima sunt loco vel tempore; v. g.:

Hac (= mea) dextrâ eum trucidabo.

Non deest rei publicae consilium neque auctoritas huius ordinis (Cic., *Catil.*, II, 1, 3).

Ad *hunc* Catonem Favonius rem defulit.

Me status *hic* rei publicae non delectat (Cic.).

*His temporibus, iuventus prolapsa est.*

<sup>1</sup> « *is* » saepe significat agi de eadem re et persona de qua ante vel post sermo est, neque tunc est veri nominis demonstrativum. Hinc non raro usurpatur « *hic* » ad revocanda quae superius dicta sunt; v. g.: *Haec* habui de amicitia quae dicerem (Cic., *De Am.*, 27, 104). — *Haec fere* hoc tempore putavi esse dicenda (Cic., *Tusc.*, II, 27, 67). — *Hoc dixi.* — *Hoc faciam.* — (Cfr. BERGER, *Stylistique latine*, § 33).

<sup>2</sup> a) Hinc, quando substantivum ponitur, potest 1º tenere locum pronominis « *ego* »; v. g.: *Tu si hic sis, aliter sentias* (Ter., *Andr.*, II, 1, 10). — 2º designare clientem in orationibus generis iudicialis; v. g.: *Quoties ego hunc vidi* (Cic., *Pro Arch.*, 8, 18).

b) Demonstrativo « *hic* » alisque demonstrativis iungi potest particula « *ce* » quae non solum elegantiā, sed etiam vim sermoni addit; v. g.: *Per hosce annos* (Cic., *Verr.*, 1, 12).

*NB.* — Quando additur particula « *ne* », mutatur « *ce* » in « *ci* »; v. g.: *Hoccine* credibile est? (Ter., *Andr.*, VI, 1, 1).

3º «iste» ad secundam personam referuntur, et ea designat, quae ad eam pertinent; v. g.:

Muta iam *istam* mentem (Cic., *Cat.*, I, 3, 6).

Te *ista* virtute in tantas aerumnas incidisse! (Cic., *Ad Fam.*, XIV, 1).

Adventu tuo *ista* subsellia vacua facta sunt (Cic., *Cat.*, I, 7, 16).

4º «ille» ad tertiam personam referuntur, et ea designat quae ad eam pertinent; v. g.:

Omnes tui sceleris et crudelitatis ex *illa* oratione commonefiunt (Cic.).

5º «ipse» usurpatur quo melius dico scatur persona aut res, quam a quavis alia segregatam volumus; v. g.:

Consul *ipse* in iudicium venit.

<sup>1</sup> a) Aliis verbis: pronomine «iste» significatur aut persona quam loquimur aut res ei proxima.

b) Contemptum vel odium non raro exprimit; v. g.: Quis est *iste*? — Rideo *istos* qui turpe existimant cum servo suo coenare (Sen., *Epist. ad Lucil.*, 47). — Quae tua est *ista* vita (Cic., *Cat.*, I, 7, 16). — Praesertim in oratione iudicaria innuit oratoris contemptum erga adversarium; v. g.: Catilina *iste* qui... (Cic.). — Cum *iste* hoc causae dicit (Cic., *Suppl.*, 41, 106).

<sup>2</sup> a) Designat quod a dicente procul distat tempore vel loco; v. g.: *Illis* Romanis decurrere ex Capitolio in hostem licuit. — *Illa* regio.

b) Quum «hic» et «ille» mutuo sibi opponuntur, solet «hic» ad substantivum propinquus referri, «ille» ad remotius; v. g.: Caesar munificus erat, integer Cato; *ille* mansuetudine clarus factus est, *hic* severitate.

NB. — Interdum tamen reperitur «hic» relatum ad prius substantivum, «ille» ad posterius, praesertim si prius substantivum referatur ad personam loquentem, posterius ad aliam; v. g.: Melior tutiorque est certa pax, quam sperata victoria. *Haec* (= pax, quam propono) in tua, *illa*, (= victoria) in deorum manu est (Tit. Liv., XXX, 30).

c) Pronomen «ille» saepe emphaticum est; v. g.: Medea *illa*. — Antipater *ille* Sidonius. — Vafer *ille* Sisyphus. (Cfr. *Alma Roma*, De pronominibus elegantier addendis, III).

<sup>3</sup> Saepe aliis pronominibus, etiam demonstrativis, adjungitur; v. g.: Profectus sum *ipso illo* die, quo lex lata est de nobis (Cic., *Ad Attic.*, 4, 11).

II. — Usus relativi copulativi<sup>1</sup> maximae est elegantiae

1º quoties alterum relativum vel coniunctiones subordinantes «quum, ubi, ut» et aliae<sup>2</sup> proxime<sup>3</sup> sequuntur; v. g.:

*Quae qui* legat, non multum desideret historiam illorum temporum (Corn. Nep., *Attic.*, 16, 4).

*Qui quo* die a vobis maritimo bello praepositus est imperator, tanta vilitas annona consequuta est, quantum vix diurna pax efficere potuisse (Cic., *Pro lege Manil.*, 15, 44).

*Quem quum* audisset interfectum, per moleste tulit (Cic.).

*Quem ubi* vidi, equidem vim lacrymarum profudi (Cic., *Somnium Scip.*).

NB. — a) Idem dicendum est de aliis demonstrativis; v. g.: *Hos eosdem* motus perturbationes dixerimus (Cic., *Tusc.*, 3, 4).

b) Quando «ipse» adnectitur pronominibus personalibus, possessivis, reflexivis, induit casum nominativi, quem nominativus eluceat oportet; casum regiminis, quem regimen eluceat oportet; v. g.; *Me ipse* consolor (Cic., *De Am.*, 3, 10). — Se *ipsos* omnes natura diligunt (Cic., *De Fin.*, III, 18, 59).

Nominativus tamen interdum pro alio casu legitur; v. g.: Non potest exercitum is contineat imperator, qui se *ipse* (= ipsum) non continet (Cic., *Imp.*, 13, 88). — Eam fraudem vestra *ipsi* (= ipsorum) virtute vitastis (Tit. Liv., XXIII, 38, 2). Roscium *ipsum* (= ipsius) sua manu fecisse (Cic., *Pro Rosc. Am.*, 29, 79).

1º Pronomine relativo sic utuntur Latini, ut non raro ambiguitas oriatur, ad quam parum attendunt; v. g.: Atilium auxilium ferre Manlio iubent, qui (= Atilius) sine ullo certamine Tanetum pervenit (Tit. Liv., XXI, 26, 2). — Quo die Pansa in castris Hirtii erat futurus, cum *quo* (= Pansa) ego eram (Cic., *Fam.*, X, 30, 1).

NB. — Attamen pronomen relativum copulativum non erit usurpandum, cui non proxime praeat nomen ad quod referatur huiusmodi pronomen.

2º Ne dicatur «quod postquam», «postquam» venustus in «quum» migrat.

3º Quandoque unum alterumve vocabulum intercedit; v. g.: Qui *postea*, quum maximas aedificasset ornassetque classes... (Cic., *Pro Lege Man.*, II, 9). — Quod *ego*, nisi meo adventu illius conatus repressissem... (Cic., *Verr.*, II, 26).

*Quam* (= tuam voluntatem) *si* ad me praescripseris, intelliges me non negligenter fore quam tu velis (Cic., *Ad Attic.*, I, 5).

*Animum rege: qui, nisi* paret, imperat (Hor.).

*Quae ne* spes eum fallat, vehementer rogo (Cic.).

2º Quoties interseritur inter obiectiōnem, ut aiunt, et eius confutationem; v. g.:

At enim dicitis virtutem non posse constitui, si ea quae extra virtutem sint, ad beate vivendum pertineant. *Quod* totum contra est (Cic., *De Fin.*, IV, 15, 40).

Forsitan occurrat illud, si paene innumerabiles sint quasi formae figuraeque dicendi, specie dispare, genere laudabiles, non posse ea quae inter se discrepant, iisdem praecepsis atque una institutione formari. *Quod* non est ita (Cic., *De orat.*, III, 9, 35).

III. — Interdum, si praecessit propositiō cum demonstrativo, sequens relativū cum ea duas propositiones connectit, quarum altera (subiecta) alteri (principali) logice subiicitur. Imo, plures connectere potest, quae alia ab alia pendent; v. g.:

<sup>1</sup> Tunc relativō sensus adversativus subiacet.

<sup>2</sup> a) Relativum, etiamsi non est «qui, quae, quod»; v. g.: Gratulor tibi, quum *tantum* vales apud Dolabellam, *quantum*, si ego apud sororis filium valorem, iam salvi esse possemus (Cic., *Fam.*, VIII, 14).

b) Propositio que proxime sequitur relativum potest esse relativa; v. g.: *Id bonum* solum est, quo *qui* potiatur, necesse est beatus sit (Cic.). — Epicurus non satis politus est *iis* artibus, *quas qui* tenent, erudit appellantur (Cic.).

c) Fera eadem est constructio in sententiis sequentibus: Hic mihi etiam audebit mentionem facere. Namartinae legationis, in qua *quam* multa sint vulnera quis est *vestrum* quin intelligat? (Cic., *Verr.*, V, 22, 57). — Magna vis est conscientiae: *quam qui* negligunt, se ipsi judicant (Cic.). — Illa tanquam cyneae fuit L. Crassi vox et oratio, *quam* quasi expectantes post eius interitum veniebamus in curiam (Cic.). — Nullas consequuntur voluptates, *quarum* potiendi spe

*Ea* praedixit *quae* ne accidenter timebamus (Cic., *De div.*, 2, 55).

An adolescentem dicere *ea* mavis, *quae* plane perdidicerit, nihil sciāt? (Cic.).

Quid enim est minus hominis quam *id* obiicere adversario, *quod* ille si verbo negarit, longius progredi non possit qui obiecerit? (Cic., *Phil.*, 2, 4).

IV. — In una eademque propositione, idem pronomē interrogativum bis usus pari potest, idque diversis casibus, ita ut una vice uno munere fungatur, altera altero.<sup>1</sup>

Considera *quis quem* fraudasse dicatur (Cic., *Rosc. Com.*, 7, 21).

Consules inter se agitant *uter* ad *utrum* bellum dux idoneus magis esset (Tit. Liv., X, 14, 2).

*Quos* autem numeros cum *quibus* misceri oporteat nunc dicendum est (Cic., *Orat.*, 58).

V. — Interrogativo «quis» et aliis interrogativis non raro

1º aut postponunt «nam», quod interrogatiōni vim addit; v. g.:

*Quisnam* igitur tuebitur P. Scipionis memoriam mortui? (Cic., *Verr.*, II, 4, 36).

Archimedem miles *quisnam* esset interrogabat (Cic., *Tusc.*, 1, 22).

*infiammati* multos labores suscepserant (Cic.). — Hic tu tabellas desideras Heraclienium publicas, *quas* Italico bello incenso tabulario interisse scimus omnes (Cic., *Pro Arch.*, 4, 8).

1º a) Ad duplēm in una eademque propositione interrogatiōnem, non semper iterant eamē vocem interrogativam, sed utuntur non raro diversis vocibus interrogativis; v. g.: Ceterorum miserabilior oratio fuit commemorantium *ex quantis* opibus *quo* recidissent Carthaginiensium res (Tit. Liv., XXX, 42, 18).

b) Multiplex item potest esse una eademque propositione exclamatio; v. g.: Quantae quoties occasio-nes quam paeclarae fuerunt! (Cic., *Pro Mil.*, 14, 38).

NB. — Voces interrogativae non solum ad interrogatiōnem, sed etiam ad exclamatiōnem inserviunt; v. g.; *Qui* huius dolor, *qui* illius moeror erit! (Cic., *Pro Mur.*, 41, 90) — *Quanta* diis gratia debetur! (Cic.).

Exspectabant omnes quidnam acturus esset (Cic., *Suppl.*, 69, 161).

Quaerere secum et agitare coepit *qui-busnam* rebus maximam uno anno pecuniam facere posset (Cic.).

2º) aut praeponunt

a) « *num* », si responsum négativum exspectetur; v. g.:

*Num quis*<sup>1</sup> *vestrūm ad vim, ad facinus accommodatus est?* (Cic., *Agr.*, 3, 4).

*Num quis fundus in agro Nolano venalis sit?* (Cic., *Attic.*, XIX, 8).

*Num* quae trepidatio? *Num* qui tumultus? *Num* quid nisi moderate, nisi quiete? (Cic., *Deiot.*, 7).

b) « ec », non tam significans « et », quam « num » (Tursellini); v. g.:

*Ecquis<sup>2</sup> fuit quin lacrimaret? (Cic., De Suppl., 46, 121).*

*Ecquod iudicium Romae tam dissolu-  
um fore putasti? (Cic., Verr., V, 57).*

### *C. Leopoldii* in Helvetia.

## S. Leonardī in Helvetia.

J. Iss

# EPISTOLARUM DIRIBITORIA APUD VETERES

Rempublicam nec florere posse nec coalescere quisque videt, nisi commercia epistolarum inter cives legibus certis atque certis accensis constituta sint. Itaque iam apud veteres huiusmodi necessitati, privata vel publica ope, subvenere magistratus, qui sive regiae auctoritati sive civium commodo suppeditarent. Eam ob rem Asuerus rex narratur, quum decretum contra Israelitas editum revocasset, tabella-

<sup>1</sup> Scribi potest *numquis* (unico vocabolo) vel *num  
quies* (duplici vocabolo).

<sup>2</sup> *Ecquisnam* non raro apud Ciceronem legitur v. g.: Perspicis profecto *ecquaenam* nobis spes saluti relinquatur (Cic., *Ad Quint. fr.*, I, 4, 2).

rios plurimos per provincias omnes equis  
camelis, mulis ad satrapes misisse, qui de-  
venia a se concessa litteras afferrent.

Verumtamen equestres nuncii regis tantum commodis apud Persas serviebant quumque tradenda essent minoris pondis edicta, turres erant per vias certis intervallis positae, quorum ex culminibus nuncii advigilantes die nocteque ex una ad alterum communicabant, eoque ritu a urbe capite ad ultima imperii limina reinnotescebant.

Similes turres Pizzarrus, Iberus ille  
dux, Peruviano in imperio vidit. At in sta-  
tionibus singulis velocissimi nuncii erant  
qui ab una ad aliam procurrentes, nuncium  
epistolarem de manu ad manum transmit-  
tebant usque ad metam. Mexicano in im-  
perio similis vigebat mos, nunciique illi-  
legibus sanctissimis defendebantur. Inter  
stationes noveim millia passuum spatiis  
aberant; nuncius tamen non scriptis litt-  
eris, sed voce transmittebat imperium.  
Nuncii autem prima ab infantia assueve-  
rant quam citissime currere, atque pro-  
fecto Olympiacas palmas in Graecia facil-  
accepissent.

In Perside Cyrus, primus, equos ad rem adhibuit. Constitutis igitur stationibus atque positis equis et equitibus, regia decreta die nocteque maxima velocitate expediebantur; qua quidem arte optime nota erant quae in extremis provinciis fierent. Attamen horum cursorum parvum arcta servabantur secreta; itaque memoriae proditum est, quum quidam velle a rege rem quamdam certo cognosci, leporum scidisse, eiusque in ventrem immisam epistolam ad eum misisse.

Graecis longe minus commoda res fuit  
Troiam captam incensi ignes per summa  
montium iuga Lacedaemoniis nuntiarunt  
atque ex iis ad reliquas provincias lata  
res est. Marathonica victoria ab equite  
celeberrimo nuntiata est, qui integrum per  
diem ex equo in equum consiliens Athenas

cucurrit; at labore cursus victus ante magistratus, dum victoriam profert, animam efflavit.

Cognitis modo Persarum moribus, nunciorum stationes a Graecis quoque fuisse constitutas ex Aeschylo atque Sophocle, ex Plutarcho et Platone arguitur. Non alias enim Graeciam omnem suis insidiis et fallaciis Philippus, Macedonum rex, illequeasset, neque magistratum mentes cognovisset populorumque captasset favorem. Alexandro Magno magis magisque fuit curanda res, dum consilium agitat graeco Imperio Asiam omnem subiicere, et ad Indos usque leges et artes Graecorum diffundere et communicare; non enim aliter ex dissitis omnino regni locis eventus et mutationes quae accidere poterant valuerunt cognoscere.

et variae cognationes, sed etiam Graecorum studia usum scribendi litteras fecerunt apud Romanos consuetum: quamquam et necessitas communicandi cum Italibus et Siculis et Sardis frequenter in dies morem reddidit. At non Lacedaemonico more Romani laconica illa epigrammata mittebant papyro conscripta et baculo obvoluta, verum Attica potius consuetudine epistolas scripserunt satis longas in ceratis tabellis stilo sculptas et sacculis occlusas, quos sigillo muniebant. Quum vero missivam legisset amicus, suo stilo ceram aequabat, atque rursus remittebat eadem tabella responsum.

Nihilominus parum certa res et nullis adiunctis illustrata nobis ex scriptoribus illucescit, nec melius scimus utrum epistolaे illae, quae ad nos usque pervenere, familiares revera epistolaе, an potius scholasticae disceptationes fuerint; planum est enim quo studio Graeci epistolarem stilum coluerint.

At si de romano Imperio sermo est,  
omnia, contra, in aperto sunt. Nam qua ex  
die aquilae legionum, vias Latii et fines

Cursum publicum summa cura instruxit et munivit Augustus, ita ut Tiberius, filius eius adoptivus, quum rescivisset Drusum in Germania aegrotare, a Gallorum finibus vix una die ad lectum fratris cucurrit. Nec alias profecto tanti imperii moles, maiestas, splendor, divitiae fuissent nisi ea legibus et artibus servassent.

H P

stra, quadrigae, bigae; varii aurigae, ehip-  
piorum fabri, loristae, equorum medici.  
«Cursus publicus» res omnis vocatur,  
eumque curant consules duo totidemque  
curules aediles. Huic vero adest proximus

*Hoc patrum est, potius consuefacere filium  
Sua sponte recte facere quam alieno motu.  
Hoc pater ac dominus interest. Hoc qui nequit,  
Fateatur nescire imperare liberis.*

## DE VATICANA BIBLIOTHECA

De Vaticana bibliotheca — cuius infortunium, quod recens passa est, omnes animos humanitate praeditos commovit — maxima complexurus eloquio, faciam ad instar eorum, qui orbem terrarum exigua in pagina pingunt. Extenuabo omnia, et ad meam redigam tenuitatem; quoniam et ad amplitudinem dicendorum assurgere nequeo, et iniqua rei spatia negant rem pro dignitate tractare.

Bibliotheca *Vaticana* appellatur ex loco, in quo est, nempe in pontificiis aedibus ad basilicam S. Petri in Vaticano; posset enim aequi dici *Lateranensis*, *Avenionensis*, aut alia. Nomen illi proprium *Apostolica* est, quippe ab Apostolis exordium fuit, penes quos, Petrum et Paulum dico, *Evangelia Matthaei* saltem et Marci, credo pariter *Lucae*, *Apostolorum Actus*, *Epidotae catholicae* et *Paulinae*, *Veteris Testimenti codices*, necessario ad evidenter fidei asservari debuere, et fortasse illa etiam (de qua non obscure Paulus *Apostolus in Epistola ad Timotheum I*, cap. VI, v. 3), *Doctrina Apostolorum*, cuius graecus codex hebraeismis resertus *Byzantii* in *Fanar* sub finem superioris saeculi est inventus.

Accesserunt postea *Acta Martyrum*, *Decreta in haereticos*, et, quae Paulum iam urgebat sollicitudo omnium ecclesiarum, instantia quotidiana, tum *Pastor Hermae*, tum *Clementinae* *epistolae*, *Apologiae*, et alia huiusmodi.

Ceterum Sacrorum Librorum thesaurus apud singulas ecclesias erat; et scimus in persequitionibus quae sita ab idololatriis volumina ad comburendum, et « tradidores » tunc primum appellatos eos, qui sacra volumina tradidissent, seu metu mortis, seu tormentis coacti, sive avaritia; quamplurima enim huiusmodi eburneis, aureis,

gemmatis, cedrinis et argenteis arte mira caelatis vidimus tegmina, quae primam et extremam libri paginam tuerentur.

Quae quidem non abs re sunt; nam hisce operimentis adhuc, antiquo ritu, utuntur Iudei Sacros Libros in synagogis venerabundi servantes, iuxta morem Moysis et Esdrae reponentium in tabernaculo volumina Legis.

Damasus pontifex, Musis amicus, colligendos undeqaque libros curavit, quem postea pari studio sequuti sunt satagentes Pontifices, et a remotissimis temporibus bibliothecarios in Apostolica Ecclesia fuisse historiae testantur.

*Xystus V*, Dominico Fontana architecto usus, aedificium molitus est hoc, quod hodie libris asservandis inservit. Ingens aula in transversam aularum seriem quingentos passus productam immittit. Picturis insignibus parietes, antiquarum et recentium artium portentis loca decorantur atque in ipsa bibliotheca pretiosa fictilibus etruscis, porphyreticis, aeneis, gemmis vincunt exspectationem, mentem cumulant inenarrabilibus. Smyrnaei Aristidis et Hyppoliti martyris, episcopi doctissimi Portuensis, eruta a catacumbis Laurentianis in Tiburtina, simulacula locum exornant; tum sequitur, per abacos et mensas disposita, collectio rerum et suppellectilium, quibus primi Christiani usi sunt; quae omnia pariter catacumbae tradiderunt: Nimbi vitrei, annuli, cruces, symboli, tesserae, instrumenta supplicii percellunt oculos, et animos occupant recordatione temporum, quibus illa fuerunt.

*Benedictus XIV*, *Pius VI*, *VII*, *IX*, *Gregorius XVI*, *Leo XIII*, qui novam insuper scriptoribus et lectoribus aulam salubriorem et clariorem sole, — nunc vero late ex praeruptio*nis* ruina pessumdatam, — constituit, bene de bibliotheca meritis sunt.

Viginti quinque fere millia codicum manu scriptorum enumerantur, praeter

Sylvas innumeratas, in quibus pretiosissima congeruntur. Centum et quinquaginta millia, et ultra, voluminum sunt quae *Nicolaus V*, *Xystus IV* et *V*, *Clemens XI*, *Pius VII*, *Leo X* et *XII*, plerique alii Pontifices concessere. Huc, tamquam in mare, celeberrimae Electoris Palatini, Christinae Suevorum reginae, ducum Urbini, marchionis Capponi, Othoboniorum, Zeladae, Ciconiarii, Chisorum bibliothecae confluixerunt.

Hic Biblia illa graeca, vi a Christo saeculi opus, maioribus, quos nuncupant, characteribus conscripta, iuxta Septuaginta; hic hebraicis characteribus Biblia, Iudeorum iudicio pari auro comparanda; hic aureis litteris liber de *Actis Apostolorum*; hic Missale Gelasio pontifici coaevum; hic Breviarium imaginibus pictum, Mathiae Corvino regi proprium, distinctum imaginibus pariter vetustissimum Martyrologium; Vergili poëma, v saeculi opus, Sante Bartoli figuris insigne; poëmatis Alligheriani pretiosissimum exemplar a Boccaccio exaratum, ut Francisco Petrarchae donaret, et epistola Alligherii, ut fama est, qua ipse explicat quid poëmata suo triplici senserit, quid descripscerit sub velamine versuum tenebrioso, qua obvius est sensus verus legenti, et omnia patent, omnia clarescunt; posuerat quippe signa et nomina pro rebus aliis aliisque viris.

Orientalibus literis manu scripta tria voluminum millia, graecis item manu scripta quinque voluminum millia numerantur.

Haec bibliotheca illa Vaticana est eodem tempore artium et doctrinarum museum, recentium et veterum disciplinarum thesaurus; « recentes » dicimus, quae a nobis trium saeculorum intervallo dividuntur! Recentissima praetermittimus.

Sed tamen quot dispersit illa Avenionensis peregrinatio! Quot illa Romae,

Carolo V rege expugnatio, in qua milites libris bibliothecae ignem succendebant in atris Vaticanis! Quot in depopulatione gallica superiore saeculo perierunt!...

P. D. V.

## KALENDIS Ianuariis MCMXXXII

Collegis, Sodalibus, Amicis.

### IANUS LOQUITUR.

« Quem sibi, quemque suis exoptat quisque  
[volentem,  
et rogat ut fausta rite revertar avi,  
*Ille ego, quae numeris mandes de more latinis,*  
*adsum latus Janus, amice, tibi.*  
*Hunc iterum sumptis romanae Fascibus usum*  
*linguae, et Pieridum sic tueare decus.*  
*Quae dicam Italici rescribas; namque vorere*  
*illis nil maius, me redeunte, queas ».*

\*\*\*  
Hesterna haec nocte est visus mihi Ianitor  
[anni,  
quae par nostre est memorare, loqui.

### IANI AD PATRES MONITA.

« O queis inest, parentes, cura liberum,  
his ut velitis optime consulere:  
nomen, simulque, quod multo est p[re]stantius,  
rem comparabunt sibi his freti regulis,  
suoque magnam ferent famam saeculo.  
Quod vi ingeni obfudere antiqui Patriae  
et a bonarum cultu lumen Artium;  
quae certa solis Musas constat Ital[is]  
cinxisse in humanarum ceu solatium  
rerum, Iuventam fas est iam dediscere,  
si forte tantorum illi decus nominum  
incuriosas, nefas! aures impulit.  
Nam nunc lacertorum vis, una corporum  
certamina exercentur, nulla pectoris;  
illo ut qui ineptus more plures allicit

artes premantur bonae et liberalia  
studia, unde adeptus est tot orbis glorias.  
Aetas enim quam nominasse "dôvavus",  
fertur, stupescit birotam qui calcibus  
primus ciens evasit omnium citis;  
vel qui, sibi certantis ora contudit  
pugnis, latusve fregit aut lacertulum,  
palmamque gestit praeripuisse barbaris.  
At folle qui ludunt, vel haec ludentibus  
quaed adest favore turba, ceu dementium,  
quamvis videntur praestitisse insaniam  
« Belum » inde ludis acta nescientibus  
nunc tempora evincit poetas maximos;  
Carneriana Vincianam perprimit  
manum!... Quot autem calceorum ro-  
[bore —  
(muli ipse paene dixerim) — Viri, Her-  
[calis  
clavae, lacertis, brachiiis haud impares.  
Sansoni idem malae... aselli, alterutro  
Musas pede omnes, alterutro aut poplite  
cunctis Apollinis putentur laureis  
praeire, vix dicendum tibi censeo.  
Quid ergo vobis consulam, quid carmine  
nunc usitato gratius parentibus,  
in limine anni, sic revertens, proferam?  
Nonne haec?: Parentes, ne virile iam  
[genus

fontes velitis accessisse ad integros,  
neu lacte Sophiae tenta quaerere ubera,  
neve Artium macrescere usu liberos,  
librisve caros immori puerulos  
Crescent torosi, nihil refert ingeni  
Phoebo aut Minerva pectorisque latebras  
nunc imbui: sat est superque corpore  
valere! Binos si queant impellere  
orbes, in orbita poplitum vim conferant;  
at si pugil quis extat, in certamina  
descendat, adversarium ut sternat im-  
[petu...  
si calce praestat... mulus atque heros  
[simul,  
in campo micet, corda demirantium  
furore capta civium per compita  
tenens, per et domos, per et fora omnium,  
puellularum lux, nurumque spes item,

iuvencolorum, res beata! ocellulus.  
Unus merebit aera hic, et potentium  
laudes, et omnem civitatis "paviam",  
at tu, Plato, et tu, Vergili, in malam  
[crucem,  
at vos, poetae, vos laqueo suspendite!...»

\*\*\*

Haec fatus tenui discessit imagine Ianus;  
omnia quae retuli iussus, amice, tibi.

Scrib. in oppido Le Piastre apud Pistorium.

ALAFRIDUS BARTOLI.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE LATINE VULGATAE

### NOTITIAE.

#### DE NUMERO PLANETARUM.

Iuxta Berlin Rechen Institut, cuius  
est numerare planetas, qui ab astronomis  
deteguntur, ad finem mensis septembri  
proxime elapsi, numerus planetarum certo  
statorum ad mille et centum octoginta tres  
attinebat.

Mense autem octobri detecti sunt sexa-  
ginta septem novi asteroideis, quorum sep-  
tem Uclae in Belgica; quinque Semeis in  
Russia, et in specula Heidelbergi quin-  
quaginta quinque, intra dies quintam et  
decimam octobris.

#### DE MASSA PLANETAE PLUTONIS.

Doctor E. Bower tribus modis contendit  
in definiendam massam novi planetae  
Plutonis:

Primo. Per eius actionem perturbatri-  
cem in orbitas Iovis, Saturni, Urani et  
Neptuni; quae tamen ratio ob non suffi-  
cientes notitias inanis evasit.

Secundo. Ex observata magnitudine  
apparenti, assumptis albedine et densitate  
hypotheticis; hinc sequitur massam non

pertingere ad septem decimas partes mas-  
sae terrestris.

Tertio. Ex observato diametro appa-  
renti, assumpta densitate hypothetica;  
unde sequitur massam non pertingere ad  
tres decimas partes massae terrestris.

Probabilius est Plutonis massam aequa-  
re decimam partem massae terrestris, si-  
cut planeta Mars.

### DE CONCENTRANDIS SOLIS RADII.

In nova officina astrophysica Instituti  
Technologici Californiae agitur de con-  
struendo instrumento potentissimo ad con-  
centrandos solis radios: ita ut attingatur  
temperatura quinque millium quingento-  
rum graduum, quae fere aequipar tempera-  
turam chromospherae Solis.

Radii solares excipiuntur a decem et  
novem vitris lenticularibus, habentibus  
diametrum duorum pedum et distantiam  
focalem duodecim pedum, et per specula  
aliquot et alia vitra lenticularia apte inter-  
se connexa ad unicum focum flectuntur,  
ibique ponitur materia, cuius igniti vapores  
analysi spectroscopicae subiiciuntur.

Praeest operi exsequendo J. Anderson,  
astronomus Montis Wilson; partem me-  
chanicam curat Russel H. Porter.

### DE UNDIS ELECTRICIS BREVISSIMIS.

Experimenta, quae nuper a Guilemo  
Marconi et eius adiutoribus habita sunt  
circa undas brevissimas, videntur ita ex-  
cellere supra alia hucusque tentata, ut in  
proxim revera traduci possint.

Huiusmodi undae hoc peculiare habent,  
quod fluctuationibus contentionis non sub-  
sunt, nec perturbationibus electricis vel  
aëris ullo modo afficiuntur.

Aptissimae proinde videntur tum ad  
locutionem, tum ad imagines transmit-  
endas.

### DE AMPULLA THERMOIONICA GIGANTE.

In scientiae exhibitione, quae occasio-  
ne celebrationis Faradayanae in Albert  
Hall Londini habita est, Societas Metro-  
politan-Vickers Electrical Limited am-  
pullam thermoionicam gigantem exposuit,  
cuius altitudo tria metra attingit, dia-  
metrum trigintaquinque centimetra, pondus  
mille chilogrammata.

Vis electrici fluctus ad fili accensionem  
procurandam quingentis «ampbris» com-  
putatur; emissio electronica centum sexa-  
ginta amperas; numerus electronum a filo  
exeuntium ad tercenta milia bilionum per  
secundum temporis computatur.

Nec putandum est ad ornamentum hoc  
factum esse, nam ampulla vere et apte  
inservire potest, et sola loco quinquaginta  
aliis, quae potentes dicebantur, substitui.

### SCIENTIAE OFFICINA IN ALPIBVS.

In Helvetia prope summum montem  
Jungfrau nuper instructum est aedificium  
ad scientiae inquisitiones instruendas.

Vis electrica, luce, calore et aliis adiu-  
mentis donatum, hospitio ad quindecim  
viros excipere valet.

Altitudine tria millia et quadrigenta  
quinquaginta septem metra supra mare  
extollitur; barometrica pressio quingenta  
millimetra attingit.

### DE PRAEMIO PORTER-CHILI.

Opus a Lynceo Paulo Luigioni elabo-  
ratum, cuius titulus Catalogo dei Coleot-  
eri d'Italia, et ab novorum Lynceorum  
Academia nostra proelo datum, a Societate  
enthomologica Galliae praemio Porter-  
Chili nuper et magna cum laude donatum  
est.

## COLLOQUIA LATINA

V.

Lectio.<sup>1</sup>

LUDIMAGISTER, PUER.

LUDIMAGISTER. — Cape tabellam abecedariam manu sinistra, et radium hunc, quo indices singula elementa. Sta rectus, pileum pone sub axilla: audi attentissime, quemadmodum ego has litteras nominabo: specta diligenter, quo gestu oris. Vide, ut eodem prorsus modo reddas, quam reposcam. Sis mecum. — Iam audisti? Sequere nunc me singillatim praeeuntem. Tenes probe?

PUER. — Videor mihi sic satis.

LUD. — Unaquaeque istarum vocatur littera: ex his, quinque sunt vocales: *a, e, i, o, u;* hae cum una qualibet, vel pluribus aliarum, syllabam efficiunt. Sine vocali non fit syllaba, et vocalis ipsa non raro est syllaba; itaque ceterae omnes consonantes nominantur, quia per se nihil sonant, nisi adhibita vocali: habent enim sonum quendam imperfectum et mancum *b, c, d, g,* quae sine *e* aut *i* parum sonant. Iam e syllabis fiunt voces, seu verba: ex his sermo, quo belluae omnes carent; nec tu a bellua differes, ni probe sermonem discas. Evigila, et nava sedulam operam. Ito, sede cum tuis condiscipulis, et edisce quae praescripsi.

PUER. — An non ludimus?

LUD. — Eho! tu venisse te huic arbitris iusum? Non est hic ludendi locus, sed studendi.

PUER. — Cur ergo ludus nominatur?

LUD. — Nominatur quidem ludus, sed litterarius; quia litteris est hic ludendum; alibi pila, trocho, talis; et graece audiri

appellari scholam, quasi otium et vacationem; quod sit otium et animi quies actatem in studiis agere... Sed ito; ediscas, quae iniunxi, submisso murmure, ne aliis impedimento sis.

PUER. — Avunculus meus, qui aliquando dedit operam litteris Bononiae, docuit me, melius memoriae infigi quae velis, si altius pronuncias; idque confirmari auctoritate nescio cuius Plinii.

LUD. — Si quis ita velit ediscere suas formulas, in hortos secedat, aut in coemetarium: ibi clamet licet, quoad excitet mortuos... Ohe vos, pueri! Hoccine est discere? Garrire, iurgare... Agite; convenite huc ad me omnes!

## EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

I.

## De voce « suscitabulum ».

EMMANUEL JOVÉ, C. M. F., ANDRAEAE AVENARIO, S. V. D. salutem.

Quaeris, amice, quid nihil tandem litterarum? Certe quidem non ex inminuta dulcissima in te amicitia, quam certum est mihi ad extremum usque spiritum et ultra conservare, sed potius ex crescente in dies sollicitudine rerum mearum. Hae tamen fateor, mentem meam in alia omnino minime distrahant, quippe in *Palaestra latina* perficienda sum, quae res solum nostras perquirit.

Tu tamen « promisisti » — inquis —; quid fidem nondum liberasti? Primo quidem quaedam promittuntur, quorum executionem, dum vivas, non liceat desperare. Deinde plane respondebo, id quod verum est, memoria promissionem ita excidisse, ut quid tibi receperissem iterum legendum opus mihi fuerit. At hodie amico, dum fidem solvo, dicam quid commentus ipse sim ut instrumentum illud nominarem,

<sup>1</sup> Ex colloquiis IOANNIS LUDOVICI VIVES. — Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

cuius tinnitus atque strepitū cottidie evigilas, seu turbaris potius ex somno.

Vides vocem *suscitabulum* a lingua latina non esse alienam neque in vocabulariis desiderari. Nihil igitur novandum duxi, sed illius significationem ad hanc rem transferendam, et, si vis, potius redendum. Etenim, si *suscitabulum* proprio sensu acceptum aliquando est, certe in instrumento hoc manifestando quo quis suscitatur, atque nos *despertador* appellamus. Omnia enim verba latina in *bulum* finita vel locum significant, ut *stabulum*, vel instrumenta quibus exercentur operationes verborum, unde repetunt originem. Sic habes *infundibulum*, *tintinnabulum*, *tribulum*, etc.

De re tandem quaesita sententiam meam nosti. Alia quaevis respondere sum tibi paratus. Interim in nova commoratione tua felix esto et hunc novum etiam annum et plurimos valeto.

Cervaria, XV Kal. Ian.

## AD SANITATEM TUENDAM

Aphorismi sive praecpta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.<sup>1</sup>

§ 438. — Notandum plerisque, hyeme praesertim rigente, dolores laterum excitari a congestione ob ambientem frigidum aërem. Purgationi tunc nullus locus. In hoc a plerisque peccatur, et ideo HIPPOCRATES purgationi praefert celebrationem phlebotomiae.

§ 439. — GALENUS (*Commentar. ad part. 89, sect. 2, lib. 5 Epidemicorum*) ait: Parotides citra suppurationem curatas fuisse solis ad inferiores partes excretionibus.

<sup>1</sup> Cir. fasc. sup.

§ 440. — In colicis doloribus cavendum a medicamentis validis, et usu linteorum impense calidorum: tempore iuvantur et thermasmine. Syrupus violatus confert, imo et usus lactis recens muleti, aut calidi.

§ 441. — Si quis iliaca passione cum crebris vomitionibus torquetur, prolapsum ilei intestini vereri oportet (nam non raro iliaca passio aliunde oritur). Quum autem prolapsum est intestinum, si vires admodum debiles videantur, ob infarcitos spiritus, oportet blandis medicamentis alvum solvere. Restituto intestino, aeger nondum omni periculo liberatus est. Ideo danda opera est, ut saluti falso creditae non acquiescat: alvus non est suppressenda; nam per aliquot dies multa colluvies debet per inferiorem alvum excerni. Rheum aut pilularum forma, aut potu datum confert. Sed et aliud aliquando deterritus contingit; nam circum glandulas mesenterii inflammatio contingit; et tum alvus quidem fluit, et tamen venter intumescit. Ideo danda, quae inflammationem compescunt; id quod in multis a nobis est observatum.

(Ad proximum numerum).

I. FAM.

## ANNALES

Nationum Societas et discrimen inter Iaponiam et Sinas.

Societatis Nationum Concilium Lutetiae Parisiorum congregatum, quod ad trutinam vocaret discrimen Iaponiam inter et Sinas, utriusque partis tandem assensionem obtinuit circa propositam rationem, componendi nempe ex foederatis gentibus coetum, qui visu res examinet proindeque suum iudicium de controversiis expromat. Ecquando vero id fieri poterit? Eoque

magis quod dicunt non unum virum ad coetum ipsum cooptatum, mandata recusasse.

Interim hinc Sinensis reipublicae Praeses, Ciang-Gai-Shek munere se abdicat; inde Iaponii sub specie Sinenses latrones puniendi, qui regionem infestam facere non cessant, in Manchouria progrediuntur.

### Anglicae et Hispanicae res.

In Anglia novorum legatorum coetus legibus ferendis, ex recentibus comitiis constituti, sessiones a Rege inauguratae sunt; qui in oratione habita eius laboribus auspicandis se valde gavisum esse declaravit, quod Anglicus populus suis suffragiis ostendisse, sese provisionibus assentire a supremo rei publicae administro excoigitatis ad restituendam fiduciam in publici aerarii stabilitatem et commerciorum aequilibrium securum efficiendum.

Interim Indorum conventus, quem « a tabula rotunda » nuncuparunt, sine die dilatus est, ea praesertim de causa, uti dictitant, quod minores Indicae civitates minime concordes fuerint de accipiendis conditionibus ipsis propositis in nova de Indis constitutione.

Constituens, qui vulgo appellatur, popularium legatorum coetus, plenis suffragiis novas pro Hispanicae reipublicae prolatas leges ratas habuit et confirmavit; deinde civitatis praesidem elegit Alcalá Zamora illum, qui primus ad novarum rerum gubernacula sedit. Is, munus suum auspiciatus, administratorum collegium, Azana praefecto, comprobavit.

### Publicae populorum pecuniae exanimi subiectae.

Basileae coetus consultorum, ad populorum pecunias examinandas congregatus, labores suos brevi confecit, Galliam praincipue atque Germaniam invitans, ut

inter se convenient ad consilia sine mora capienda, quibus sperare liceat fore ut incerta et nutans publicae pecuniae conditio, qua identidem populi omnes anguntur, in melius quo citius mutetur. Angli gubernii moderator McDonald et ipse conficiendi celeritatem invocat...

Ex omnibus populis legati Hagam in urbem proximo mense ad rem convenient; neque certe ad unam alteramve decisionem capiendam non valebit publici legatorum Americani coetus legibus ferendis sententia, per quam, si rata habita est, — non tamen sine diuturna disceptatione, — Hoover praesidis rogatio de solutionis debitorum prolatione, confirmatum tamen est, eadem debita neve remitti neve imminui debere.

Quid novus annos afferat, videbimus; et oh! faxint Superi ut meliora tempora videamus!

POPULICA.

## VARIA

### De fabulosis insulis fortunatis.<sup>1</sup>

Proditum est a veteribus poëtis esse quasdam in Oceano insulas, ad quas post mortem deferantur eorum animi, qui sancte religioseque vixerint. Ibi eos inter se iucundissime ac suavissime vivere in amoenissimo quodam prato, quod gemmea florum naribusque gratissimorum varietate perpetuo distinctum picturatumque sit. Nunquam non illic ridere caelum, frondere arbores, pubescere herbas, nitere omnia: spirare assidue mollissimos favonios, quorum flabellis arborum comae leviter ventilatae placidissimo murmure auribus blandiantur. Eo accedere innumerablem vim ac copiam immortalium avicularum, quae usque et usque liquidissimos cantus tenui gutture funditantes, intimos

<sup>1</sup> EX MURETO, *Var. lect.*, lib. 5, c. 1.

audientium sensus incredibili voluptate permulcent. Pratum ipsum perennibus rivulis varie intersecari, quorum aquila nitidissima ad versicolores lapillos molliter fracta et allisa susurrum efficiat dulcissimum. Ita qua flosculorum ambrosios odores exhalantum suavitate, qua zephyrorum viridianibus arborum ramis illudentium sibilo, qua volucrum concentibus, qua blando murmurantium rivulorum strepitu beatas illas mentes indesinenter hilarari. Ergo alios ad Orphei Amphionis lyram choreas agere, alios psallere, alios corollas texere, alios in herba fusos, qua tellus tremulis laurorum et myrtorum opacatur umbraculis, iucundissimos sermones conservare, humum ipsam opum suarum prodigam, sine ullo cultu ter quotquot annis ubertate summa alimentorum copiam eis suggestere ac subministrare.

### Fures et Gallus.

Fures, qui se in aedes quasdam insinuaverant, quum quod auferre possent nihil reperirent, gallum magno cum strepitu cantantem comprehendunt et secum asportant. Quem iugulaturi orantur ab eo sibi ut parcant; suum enim cantum utilem hominibus esse, quos excitet e somno ad opera et laborem.

Tum Fures: « Eo libentius — inquit — te occidemus, qui eos suscites, quorum vigilantia obstet conatibus nostris ».

Fabula significat malis ea maxime aduersari, quae bonis prosunt.

### Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

*Ius regium.*

*Ova cum citreis cucumibus in acetabulo servatis.*

*Polentae pyramis aviculis farta.*

*Spinacia butyro condita.*

*Spumae lactis poculum.*

### locosa.

— Atqui manum habes pessimam! Quomodo asseverare potuisti te in arte scite scribendi excellere?

— Quinimo confirmo; quum scriptoria machina utor.

Avunculus Tuccio:

— Ecce, Tucci, ob diem meum nominalem folium album, sine verbo ullo ad me misisti?

Tuccius: — Dearrant enim mihi verba ut exprimerem quantum te diligo!

\*\*\*

### Aenigmata.

I.

Syllaba bina mihi est: nihil altera syllaba [mutat; fertur at instabili syllaba prima vice.

**A** nitet in templis, spoliis fulgentibus acta: thure pio redolet, florea serta gerit.

**I** furit, et vitreis oculis rubicunda coruscat: fit fremitus venis, uritur igne sinus.

**O** limbus chlamydis sive instita, fimbria, [cirrus, vel litus rabidi quod ferit unda maris.

**H**a foedas pecudes recipit; nil vilius illa, nec locus auspiciis aptior nullus erat.

**He** venit: ecce timent ancillae pensa trahentes: tintcta venit pallam murice, tintcta genas.

**Ho** datur a Superis aegri solamen amoris: utere, nam ciuius non redditura volat.

II.

Aërem agit totum; caput eripe, basiat; eius caede etiam pectus: sanguine tingit humum.

Aenigmata in fasciculo mens. Decembris MCMXXXI proposita his respondent:  
1) Semel-e; 2) Terminus esto triplex: mediusr, maiorque, minorque.



[3]

## DE ROBERTI SCOTTI NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

MAR 45

Et revera paulo post res suscepta est, disperitis commode inter nationes polaribus partibus, sed simili via et coniunctis acquirendae scientiae studiis.<sup>1</sup>

Egressi sunt Germani cum Erico Drygalski in navi, cui *Gauss*<sup>2</sup> nomen erat; anno 1902 contra oceanum Indicum inventerunt terram Gulielmi secundi et diligenter, quae in rebus naturae observaverant, perscripserunt. Eodem tempore, Ottone Nordenskiöld<sup>3</sup> ductore, Sueci ex

America meridiana profecti magno cum labore pervestigaverunt terram Graham, quae illuc ex incognito emergit.

Sed etiam tum longe plurimum proiectum est ab Anglis, quorum navis, *Discovery* nomine, - anno 1901 avecta est in terram Victoriae, quae ex Rossi temporibus quaedam investigatoribus Anglis tamquam provincia est. Ducebat Robertus Scottus, qui VIII Id. Iun. anni 1868 in oppido Outlands natus tum aetatis annum agebat trigesimum tertium. Quem Ferdinandus Richthofen, geographorum postremis superioris saeculi annis facile princeps, quum in aperienda sententia cautissimus et ad laudandum parcior esse soleret, in inchoato de investigatione antarctica libro eximium nominat centurionem classiarium et iuvenem raris praeditum virutibus; hominem ad subeunda negotia promptiore et ad audendum paratiorem non potuisse eligi, eundem praestare consilio, agilitate, gratia.

(Ad proximum numerum).

A. HABERL.

<sup>1</sup> Ferdinand Richthofen, nobili oriundus genere, natus est anno 1833 in Silesia. Insignis cum scientia geologiae et geographiae tum investigatione multarum terrae partium anno 1856 structuram geologicam Alpium Tirolearum explicavit (dolomitas esse veteres coralliorum cautes); anno 1860 interfuit expeditione Borussorum in orientalem Asiam; annis ab 1865 ad 1868 Californiam obiit et ea iuga quae *Sierra Nevada* (*Serra nivea*) vocantur; post, annis ab 1868 ad 1872, tredecim provincias Sinarum perlustravit, cuius terrae formam geologicam primus agnoscit. Munere functus est professoris Bonnae anno 1875, Lipsiae 1883, Berolini 1886; institutum condidit perscrutando mari. Idem cum primis meritis est de geomorphologia, h. e. de conformatiōnē terrae scientia, in quam multas induxit notiones, ut abrasiōnē et limi originem, et de parandis omnibus fere explorationibus Germanorum. Mortuus est prid. Nonas Oct. anni 1905, Berolini. Scripsit de Sinicis terris, de Shantungia et Klauchovia, proprio libro instituit qui investigatinganis terris pollicetur operam.

<sup>2</sup> Gaussia navis nominata est ex Carolo Friderico Gauss, celeberrimo mathematico, qui natus anno 1777 Brunsviciae, mortuus est a. 1855 Gottingae, rector speculae astronomicae Gottingensis. Is etiam Latina lingua in scribendis operibus usus est. Sic scripsit *Disquisitiones arithmeticæ, Theoriam motus corporum in sectionibus conicis solem ambientium; Theoriam combinationis observationum erroribus minimis obnoxiae*.

<sup>3</sup> Nordenskiöld, Suecus natione, nobilis geographia, geologia, investigatione antarctidis, natus anno 1869, peragravit Patagoniam et Igneam Terram anno 1895,

Groenlandiam partem quae ad orientem vergit an. 1900; Alascam an. 1898. Suecorum expeditio antarctica, cui postea tres annos praefuit, nimium accelerata erat. Eorum navis *Antarctic* anno 1903 confringitur glacie; viri, quum tripertito hiemasset, ab Argentinis nautis, qui casu in eas partes venerant, servantur. Dux in patriam reversus ex expeditionibus anno 1905 profitetur geographiam Göteborgi. Scripsit inter alia, quam scientiam terrarum Magalhaesarum protulisset expeditio Suecica, et «Antarcticam: Duos annos in nivibus et glacie ad polum antarcticum toleratos».

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS